DE FLUORE ALBO BENIGNO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNARDUS SIGISMUNDUS BAERENSPRUNG

SAXOBORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

HERMANN F. MEYER, MED. ET CHIR. DR.

JULIUS GLOKKE, MED. ET CHIR. CAND.

MICHAEL PLESSNER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO, MAXIME REVERENDO

Guilelmo Baerensprung,

VERBI DIVINI MINISTRO PRIMARIO, ARTIUM LIBER. MAGISTRO, ETC.

PATRUO CARISSIMO,

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, MAXIME VENERANDO

Gotthelf Heinicke,

VERBI DIVINI MINISTRO, LIBERAL. ARTIUM MAGISTRO,

AVUNCULO CARRISSIMO,

NEQUE MINUS

Patri

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO,

HUNCCE LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Haesitanti mihi, quamnam materiem ad impetrandos in medicina et chirurgia summos honores describendam sumerem, morbi descriptio, quem pluries observandi occasio mihi oblata erat, et de quo plura etiam legeram, non inepta videbatur. Neque vero novi aliquid, neque inauditi refero, sed rem a viris doctis satis tritam atque elaboratam.

Quapropter, opusculum meum tenue esse et exile, imo erratorum non expers, probe sentio. Sed si juvenem me, virorum experientia plane destitutum, meditaris, spero fore, L. B., ut indulgenti animo ea, in quibus peccaverim, excuses.

Libri de hac re evolvendi.

W. Trnka de Krzowitz historia leucorrhoeae Vindobon. 1781.

I. Raulin, Traité des fleurs blanches, Paris 1766.

I. B. Blatin, du catarrhe utérin ou des fleurs blauches, Paris 1801.

C. S. Heinze, Unterricht über den weissen Fluss. Chemnitz 1803.

Doussin Dubreil, über Tripper und weissen Fluss, aus dem Französischen von Venus, Ilmenau 1831.

Kreyssig, über weissen Fluss, im encyclopäd. Wörterbuch der mediz. Wissenschaften, herausgegeben v. Busch, v. Gräfe etc.

§. 1.

Mulierum genitalia, velut alias corporis humani partes cavas aëri obnoxias, propterea constat tunica mucosa obduci, ut profluvio quodam, ex ipsis non ultra modum emanante, lubrica semper efficiantur. Fluor autem ille, variis ex causis aliam in aliis speciem prae se ferens, si adeo augetur, ut, si verbis hisce uti licet, bonae valetudinis fines egressus morbi fiat auctor, fluoris albi s. leucorrhoeae nomine notatur.

Quum vero, saepius majorem humoris copiam ex genitalibus effluentem ad explenda ipsorum munera necessariam esse, satis notum sit, ne omnem, quam medici vocant, secretionem praeter consuetudinem adauctam pro morbo habeamus, valde cavendum est. Primum enim, ut exempla afferamus, hoc interdum non multo post evenit, quam mulieres conceperunt; deinde, quo criterio imminens partus quasi nunciatur, sub finem graviditatis major in genitalium glandulis mucus secernitur; denique ex puerperarum genitalibus inter

partus laborem humorem illum copiosius effundi, quis nescit?

Quae quum ita sint, fluor albus definiendus videtur is morbus, quo ex mulierum eodem affectarum genitalibus per longius tempus liquor quidam abnormis profluit.

§. 2.

Fluorem album vero, si liquoris et qualitatem et quantitatem, nec non morbi sedem et causas respicimus, maxime discrepare posse, nemo negabit. Nam quod ad causas, et benignum et malignum fluorem album scriptores distinxerunt, quae duo genera valde inter se differunt, quum malignum naturae syphiliticae et cum gonorrhoea virorum comparandum, benignum contra nonnisi blennorrhoeam simplicem, infectionis syphiliticae expertem, esse satis constet. Sed alter alteri, quod ad formam, adeo similis est, ut non facile discerni possint.

Hoc autem in libello nonnisi de fluore albo benigno sermo erit.

Fluor albus benignus s. leucorrhoea benigna, morbus nostris temporibus frequentissimus, decursum modo acutum, modo quod saepius accidit, chronicum absolvit, neque semper eundem exitum sortitur, sed potius variis ex causis variam prae se fert speciem. Nullam quidem aetatem ab eo tutam esse, ex medicorum observationibus jam diu patet, multo saepius vero uxores, quarum major pars eo laborare solet, affici, non minus constat. Ne infantibus quidem parcit, et puellas pubertatis tempore vexat; menstruationem antecedit, imo non raro per tempus aliquod vices ejusdem tenere solet. Saepe decrepiditatis periodo supervenit et ab illo tempore vetulas ad mortem usque tenet.

Quod ad morbi decursum, in fluorem acutum et chronicum scriptores distribuerunt, quorum acutum saepius malignae quam benignae indolis esse, jam diximus, quamvis, nisi illum dicamus ex coitu incesto originem ducere, vix certum discrimen constitui possit.

§. 3.

Fluor albus acutus iisdem symptomatibus, quibus tunicae cujusque mucosae inflam-

matio cognoscitur. Initio sensu tensionis vaginae et oppletionis aegrota movetur, coeundi cupidine flagrat. Tunica mucosa ipsa rubefacta tumescit et tacta laboranti dolorem infert. Quibus symptomatibus sensim sensimque auctis, diebus aliquot elapsis, morbosa sensibilitas partis affectae accedit; saepius adest febris, mulier genitalium doloribus cruciata interdum nonnisi cum dolore urinam mittere potest. Utque internae, ita externae quoque partes genitales tumescere solent, et omni motu, ambulando, coitu exercendo, exploratione instituenda, dolores acerbi excitantur, qui secretione seri albidi, interdum viridis aut versicoloris, partes vicinas corrodentis, augentur.

Nec raro accidit, ut in ano, siquidem materiae illius aliquid eum adierit, similis morbus excitetur. Tempore denique menstruationis omnia graviora redduntur symptomata.

Neque raro evenit, ut glandulae inguinales tumescant et bubones existant, imo inflammatio ad vesicam urinariam et uterum propagetur. Febris eadem esse solet, quae in aliis tunicarum mucosarum inflammationibus, ut respirationis organorum, cet.

Quae si per tempus aliquod, ad decimum quartum fere, nonnunquam ad vicesimum primum usque diem, perstiterunt, sensim minuuntur aut evanescunt. Secretum ipsum, tenue eousque, colorem varium, maxime autem albidum induit, copiosius, spissius, puriforme evadit. Inflammatio prorsus desinit, durante secretione, qua ratione saepissime fluor albus chronicus existit.

§. 4.

Fluor albus chronicus, ut jam diximus, ex acuto prodire et hoc modo morbus secundarius apparere potest. Quamvis autem negari nequeat, fluorem album benignum acutum decursum, quod apud infantes saepius observari solet, exhibere posse, tamen hoc rarius fieri et plerisque in casibus ab exordio fluorem album chronicum esse, satis constat. Decursus autem ejus hic fere esse consuevit. Initio malum admodum benignum mulieri parum molestiae affert. Praecipue dies aliquot ante menses profluvium existit modicum materiae mucosae, albidae, ex genitalibus proruentis, quod menstruatione finita breve per tempus adhuc persistit. Id vero saepe plures per annos a feminis aegrotis non modo

sine magna molestia fertur, sed ne flocci quidem ab iis aestimatur. Tunc vero liquoris, qui secernitur, copia sensim augetur, tunc per longiora temporis spatia adeo fluere incipit, ut vix ulla, quibus mulier a morbo libera sit, temporis intervalla intercurrant, quae, nisi ad malum sublevandum, vel potius exstinguendum et eradicandum remedia quaedam adhibentur, ita tandem evanescunt, ut perpetuus adsit fluxus. Sed tunc etiam absque mutationibus majoris momenti morbus per longum tempus vigere potest. Procedente denique morbo graviora symptomata existunt. Secretum ipsum vario modo in pejus mutatur, menses, mox parcius fluentes, prorsus tandem desinunt, interdum vero, ubi contrarium evenit, nimia catamenia redduntur. Mulieres vel difficilius, vel omnino non concipiunt; gravidae abortum faciunt. Symptomata tum hysterica varii generis medico offeruntur; mulier affectionibus colicis, doloribus regionis sacrae, aliis laborat. Corpus totum in dies magis magisque debilitatur, cutis pallida fit et subflava, oculi circulis lividis cincti apparent, pulsus languidus evadit, exilis, facies ipsa aut macrescit, aut turget. Spasmi, orthopnoea, cordis palpitationes, anxietas, ructus, vomituritiones, vomitus, alvi obstructiones aegrotam cruciant; nec raro diarrhoeae,

chlorosis, hydropes, animi affectiones ex fluore albo inveterato oriuntur.

§. 5.

Quod ad secretum attinet, natura ejus varia est. Initio quidem semper benignum solet esse, mox autem magis magisque degenerans in pejus convertitur. Quodsi enim indolem respicimus, secretum modo mucosum, modo serosum, modo lacteum ,chylosum, sanguineum, puriforme apparet. Color ejus initio albidus, postremo flavus fit, viridis, sordidus, cinereus, fuscus. Consistentia primum aquosa et tenuior, postea fit tenax et viscida. Modo secretum mite est, modo corrodens, urens, causticum, idque maxime in morbo inveterato. Ineunte morbo secreti copia minor est, partes sexuales nonnisi leviter irrigans, lintea maculis inficit. Morbo autem inveterato, liquoris illius verum exstat profluvium, copiaque saepe librae pondus per diem aequat vel excedit. Secretum, quod interdiu copiosius quam noctu effunditur, rebus compluribus tanquam irritamentis, ut cibis aut potibus quibusdam, plerumque augetur.

In parte ipsa affecta mutationes variae ex-

istunt. Tunica mucosa emollitur, glandulae mucosae tument, et manut actae velut arenae speciem praebent. Postremo partium genitalium excoriationes, quae in ulcera abeunt, prolapsus, pseudorganisationes diversi generis nascuntur.

Faciem secretoriam autem vaginae aut uteri vel organi utriusque, tunica mucosa sistit.

§. 6.

Causarum, quae per se corpus humanum ad morbum hunc propensum reddunt, hae sine dubio gravissimae sunt: Cachexia pituitosa, quae tum congenita tum acquisita esse potest, chlorosis, constitutio laxa, quae aeque ac scrophulosa morbo magis favet, quam si corporis natura integra ac salva est. Saepe mulieres, quae plethora abdominali, indeque haemorrhoidibus, arthritide laborant, in hunc morbum incidunt.

Quod ad aetatem pertinet, morbus noster a vicesimo quarto inde ad quadragesimum usque vitae annum feminas maxime corripere solet, quamquam, quod supra jam diximus, neque infantibus neque vetulis parcit.

Causae vero occasionales modo locales.

modo universales sunt. Illarum notissimae hae sunt: onania, coitus praematurus et nimius, quanquam coitum denegatum pari modo morbo ansam interdum praebuisse, negari non potest. Haud minoris momenti libidines sunt, vario modo excitatae et incensae, ut lectione librorum obscoenorum et aliis rebus, quibus genitalia versus sanguinis congestiones, imo sęcretiones mucosae efficiuntur. Neque omittendae sunt hoc loco graviditates brevi tempore iteratae, partes sexuales partu difficili laesae, haemorrhagiae, maxime ex abortu repetito, menostasiae, quos morbos sexuale systema afficere et debilitare, nemo dubitabit. Nec minus morbi causa exhibetur, si partes illae non semper ab immunditie liberae habentur; si saltationi nimiae, qua libidines excitantur et facile, corpore aestuante ac vestibus levissimis tecto partium illarum refrigeria oriuntur, si saltationi nimiae, inquam, indulgetur. Item, si genitalia vestibus calidis, culcitis plumeis nimis foventur, morbi nova causa additur. Praeterea pessaria male constructa, ascarides ad vaginam profectae, ollarum carbonariarum et aliarum rerum abusus, fluoris albi auctores saepe fiunt.

Ad causas occasionales generales praesertim curae et sollicitudines longum per tempus urgentes, cibi pravi, pingues, mucilaginosi,

farinacei, commoratio in regionibus insalubribus, praecipue humidis, (quapropter in Batavia et Brasilia morbus est endemicus), nec minus abusus potuum corpus relaxantium et emollientium, ut infusi theae, coffeae; vita sedentaria, quae dicitur, morbi corpus debilitantes, crebrae refrigerationes pedum, sudorem celerius reprimentes. Nec non ansam hujus morbi suppeditare possunt ulcera celeriter et incaute sanata, sordes et excrementa in intestinis retenta, pseudorganisationes, scirrhus, carcinoma, polypi, fungus, alia.

Omnes hae causae fluorem album excitare possunt, eoque facilius, quo plures simul concurrunt.

§. 7.

Ad prognosin quod attinet, bona omnino dici potest in leucorrhoea acuta, minus bona, si inflammatio ad vicina organa, ut vesicam urinariam et uterum, jam est progressa.

Morbi decursus celerior apud mulieres robustiores quam imbecillas et torpidas solet esse, his enim saepius in chronicum vertitur. Fluor albus acutus, quem saepius in infantibus ex

causa catarrhali, scrophulosi, cet. observamus, bonam largitur prognosin, nisi negligatur, unde ne variae desorganisationes paullatim oriantur, bene cavendum est, ut destructio hymenis aut vaginae per ulcera.

Fluor albus chronicus initio minime affert periculum, sed longum per tempus sustineri potest, attamen molestus est et pertinacissimus morbus. Quo magis praedispositio adest, qua torpidiore constitutione aegrota utitur, quo vetustius malum est, quo magis secretum quantitate et qualitate a norma recedit, quo plures causae praesto sunt, eaeque quo difficilius tolluntur, eo difficilior curatio, imo interdum malum inexpugnabile existimandum est. Sin vero pseudorganisationes, ut polypi, scirrhus, carcinoma, fungus, alia adsunt, prognosis mala habenda est.

Puellae saepissime ineunte menstruatione hoc malo liberari solent. Mulieres longius ab eo vexatae vel steriles fiunt, vel, si concipiunt, abortum faciunt. — Malo persistente et crescente vires mulierum sensim exhauriuntur et corpus magis magisque macrescit.

Medicamentis internis solis, quum specifica, quae dicuntur, non adsint, fluor albus inveteratus vix sanatur, externa sola cautissime adhibeantur, oportet, ne supprimatur fluor et alia morborum genera magis periculosa existant.

§. 8.

Diversas morbi divisiones scriptores exhibent, sed vix una earum doctrinae sublimiori satisfacit, quapropter illas tantum referam, quae ad medelam stabiliendam scitu necessariae videntur.

Diviserunt morbum primum in fluorem album activum et passivum, quorum illum exstare dicunt, ubi irritabilitas aucta vigeat et status omnino magis minusue inflammatorius, hunc vero, ubi atonia et universalis et localis, non raro constitutio torpida, serosa, pituitosa, congestiones passivae ad genitalia adsint.

Majoris vero momenti videtur esse divisio*) in fluorem album idiopathicum s. primarium et sympathicum s. secundarium. Quaeritur

*) Kreisig, l. c.

enim utrum ex causis localibus exoriatur, an effigiem tantum alius corporis mali reflectat.

Ad fluorem album idiopathicum s. primarium pertinet fl. a. ex irritamentis localibus genitalium ortus; fl. a. graviditati saepe et celeriter iteratae superstes; fl. a. ex onania et coitu nimio; fl. a. ex refrigeratione locali, qui re vera nil nisi catarrhus genitalium muliebrium est.

Fluoris albi sympathici s. secundarii species has fere apponunt: fl. a. venosum sic dictum, qui ex stagnatione sanguinis in vasis abdominalibus existit; fl. a. haemorrhoidalem, qui haemorrhoidum fluentium morbum quasi vicarium sistit; fl. a. ex dyscrasia quadam ortum, ut fl. a. arthriticum ex arthritide, fl. a. herpeticum ex herpete, fl. a. scrophulosum ex scrophulosi cet.

§. 9.

Ut in quolibet alio morbo curatio primum causarum rationem habere debet, ita etiam in sanando fluore albo. Tum vis vitalis et complicationes respiciendae sunt.

Fluor albus acutus omnino methodum antiphlogisticam expostulat. Quapropter irritamentis localibus, si quidem adfuerunt, sublatis vigente inflammatione acuta hirudines ad labia majora vel crurum latus internum applicandae, imo si febris inflammatoria urget, venaesectio instituenda est. Aegrota quieti indulgeat, detineatur in lectulo, ne motu magis irritentur partes; inflammatio fomentis, ex remediis emollientibus confectis, mitigetur, ut ex aqua tepida, lacte, decoctis mucilaginosis, ex Althaea, Malva, Verbasco, aliis.

Interna remedia semper respectu febris habito praescribenda sunt. Quapropter, si febris floret gravior, anthiphlogistica, ut Nitrum et alia requiruntur, si magis est catarrhalis, Diaphoretica. Diaeta ad remedia bene accomodetur.

Secundum fluoris albi chronici causas curatio quoque vario modo instituenda est. Quapropter, si stagnationes sanguinis in abdomine, vel infarctus adsunt, indicata omnino omnia illa remedia sunt, quae illos solvunt et tollunt. Ejusmodi vero sunt Salia resolventia, ut Kali tartaricum, conjuncta cum extractis resolventibus, amaris, gummat. ferulac., saponac., Hellebor.,

Gratiol., Sulphure. Magno cum fructu utimur fontibus soteriis, ut Thermis Carolinis, Marianis, Salisbronnensibus, Amesensibus, cet.

Si fluor albus est morbus haemorrhoidum vicarius, remediis sulphuratis, Hirudinibus, Balneis localibus vaporariis ad perinaeum et anum curetur.

Sin vero dycrasia adest, hujus praecipue rationem habere oportet; quapropter vigente Scrophulosi, Antiscrophulosa, ut Mercurialia, Antimomnialia, Alcalina, Cicuta, Digital., Ferrum, cet. porrigenda sunt. In chlorosi praesertim Amara, Tonica, Martialia, in arthritide Antimonialia, Guajac., Aconit., Saponar., Amara, Haematocathartica adhibenda.

Fluor albus si ex causa herpetica prodiit, maxime remedia alterantia et haematocathartica postulat, ut Decoct. Zittmanni, remedia roborantia, Balnea sulphurata, cum sale parata, ferruginosa. Magno cum fructu ulcera artificialia crurum et brachiorum, imprimis si suppressiones secretionum, ut sudoris pedum vel metastases aliae adsunt, quae saepius ex herpete aliisque praeterea morbis, ut morbillis, scarlatina, ex ul-

ceribus incaute ac praemature sanatis, nascuntur, adhibebimus.

Si cachexia pituitosa exstat, Tonica, Amara, Ext. Gentian. c. Rheo, Cort. Angustur. Hba. Trifol. fibrin., Cort. Cascarill., Lign. Quass., indicata sunt. Morbo jam inveterato et maxima atonia conjuncto, Alumen c. cinnamom., Gummi Kino, Sabina, China, Ratanhia, Zincum sulphur., Oleum terebinth., Pip. caudat., Balsam. Copaivae, quanquam plerumque sine prospero eventu danda sunt.

Quod ad externa remedia attinet, innumera laudata sunt, sed maxima semper cum providentia adhibenda.

Initio sufficiunt lotiones partium genitalium, per diem saepius iteratae, ex Aq. tepida, Lacte, humore mucilaginoso, ut Decoct. Althaeae, Verbasci, etc., idque praecipue, si status adhuc irritatus locum habet. Si vero partes non amplius irritatae, sed relaxatae magis sunt, ad leniter adstringentia transire licet. Exordium fiat ab Aq. frigida, tum sensim sensimque ad magis adstringentia pergendum est, ut Decoct. Salviae, Cort. hippocastani, Cort. Salicis, Cort. Ulmi inter., Solutiones Plumbi ace-

tici, Aluminis. Fortiter adstringunt Solutiones Zinci sulphurici, Ferri sulphuric., Cupr. sulphur. Sed cavendum est, ne usus horum remediorum damna maxima inferat.

Profluvium si magno foetore conjunctum est, injectiones ex Aq. Calcis, Aq. oxymuriatica, Sol. Hydr. muriat. corros., faciendae sunt.

Magna si adest genitalium sensibilitas, non inepta injectionibus utimur ex Infus. Flor. Sambuci, Chamomillae, cum Decocto mucilaginoso quodam, Infus. Hb. Belladonnae, Hb. Hyoscyami, Opio conjunctis.

Omnium vero medicaminum externorum optima et saluberrima sunt Balnea, additis herbis, in posterum remediis Adstringentibus, ut Cort. Querc., Globul. martial., aliis, quae eo meliorem eventum praebebunt, quo aptiora remedia interna simul adhibentur.

VITA.

Ego *Bernardus Sigismundus Baerensprung,* die vicesimo octavo mensis Novembris anno millesimo octingentesimo duodecimo, Libenwerdae, oppido provinciae Saxoniae, patre *Gotthelf Sigismundo,* medico practico, matre *Joanna Rosina,* e gente *Heinicke,* quos Deo favente adhuc vivos veneror, natus confessionique evangelicae addictus sum.. Ad annum millesimum octingentesimum vicesimum sextum domi vixi, et litteris humanioribus, quibus aetas puerilis imbui solet, institutus sum.

Deinde ad gymnasium Torgaviense, quod Rectore ill. Muellero adhuc floret, me contuli, atque in disciplina ejus per sex annos totidemque menses versatus, testimonio maturitatis instructus vere anni MDCCCXXXIII ad academiam almam Fridericam Guilelmam profectus ibique in numerum civium academicorum receptus sum.

Disciplinas tam philosophicas quam medicas viri illustrissimi me docuerunt: Botanicen ill. *Link*, chemiam ill. *Turte*, osteologiam ill. *Schlemm*, anatomiam theoreticam et practicam ill. *Müller* et ill. *Schlemm*, encyclopaediam medicinae cel. *Phoebus*, logicen ill. *Benecke*, zoologiam ill. *Lichtenstein*, materiam medicam ill. *Osann* et ill. *Schultz*, physiologiam ill. *Müller* et ill. *Schulz*, anatomiam comparatam ill. *Müller*, pathologiam et therapiam morborum mentis ill. *Horn*, splanchnologiam ill. *Schlemm*, pathologiam et therapiam specialem ill. *Wagner*, chirurgiam, akiurgiam, anatomiam chirurgicam ill. *Froriep*, anthropologiam medicam cel. *Ideler*.

In scholis clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis moderatores mihi fuerunt: ill. *Osann*, ill. *Bartels*, cel. *Barez*, ill. *Rust*, ill. *Dieffenbach*, ill. Busch.

Quibus viris omnibus summe de me meritis gratias habeo maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1) *Herniotomia ad curationem radicalem perficiendam rejicienda est.*

2) *Ligatura amputationi penis praeferenda est.*

3) *Lues venerea sine mercurio sanari nequit.*

4) *Partu peracto placenta utero adnata post duodecimam horam arte solvenda est.*

5) *Usus infusi coffeae diaeteticus plus prodest quam nocet,*
